STADIUM
INTERMINATUM
VIRTUTIS, SAPIENTIÆ, GLORIÆ,
INFVLATÆ
Immortalibus Illustrissimæ SOLEÆ SWIĘCICIANÆ
VESTIGIJS
CONSIGNATUM.
Atq;
Sub Funebria Justa
ILLUSTRISSIMI ac REVERENDISSIMI DOMINI
D. STANISLAI
In SWIĘCICE
SWIĘCICKI
EPISCOPI CHEŁMENSIS
Nominati Culmensis, Archidiaconi Varsaviensis,
Abbatis Lubnensis, Præpositi Canonicorum Regularium
Lateranensium ad S. Georgium Varsaviæ.
Ecclesiæ, Patriæ, Palladi Christianæ
PROPOSITUM.
Necnon
ILLUSTRISSIMO ac REVERENDISSIMO DOMINO
D. NICOLAO STANISLAO
In SWIĘCICE
SWIĘCICKI.
NOMINATO EPISCOPO KIJOVIENSI,
& Czerniechoviensi, Abbati Tremesnensi, Decano Ecclesiæ
Cathedralis Posnaniensis &c. &c.
PRÆSENTATUM.
à Collegio Varsaviensi Socieatatis JESV MDCXCVII.

VARSAVIÆ, Typis S. R. M. in Collegio Scholarum Piarum.

Exiguum nobis vitæ Curriculum natura circumſcripſit, immenſum gloriæ. Cicero pro C. Rab.

Vita brevis eſt, Gloriæ curſus ſempiternus.
Cic. pro Seſt.

--- Nunquam ſtatuetur terminus ævi,

Dum me flammigeri portabit machina cœli.
Statius lib. 3 Sylv.

Hic vel coruſco ſe propè ſiderum
Curru locabit, vel propior Deo
E nube reclinis curuli,
Sub pedibus ſua Fata cernet.
Sarbiev. lib. 3 Ode 25

Magnus licet Is, habitus fuerit antè, dum ſtaret; in Caſu tamen ac JACENS, cêu proſtratus disjectuſq; paries MAJOR, apparuit.
Famian. Strad. Decad.

ILLUSTRISSIME REVERENDISSIME ANTISTES.

AD metam Doloris Publici, ad terminales Rerum humanarum Gades, Interminatum Stadium Nos Tibi, & Vniversæ Domui Illustrissimæ SWIĘCICIANÆ proponimus. Aperit illud, angustis fatorum terminis major, Insulata Magni STANISLAI Virtus, Sapientia, Gloria, documento orbi, cursum immortalitatis SWIĘCICIANÆ, mortualibus marmoribus impelli, non impediri; & inde majores sumere vires, ubi cuncta deficiunt. Nempe æternum SOLEÆ SWIĘCICIANÆ robur, perfringit, Quidquid sibi summa petenti obstaret, gaudetq; viam, proculcatorum fatorum fecisse ruinâ. *Istud*

verò SWIĘCICIANÆ Gloriæ, ſatorum terminis non concluſum Stadium, Te ſuum agnoſcit Agonothetam, parem ſcilicet Avitis veſtigijs exæquandis, maximis majorem Majoribus NICOLAVM. Credo Ego Magnum STANISLAVM, laureata Immortalitatis Olympia auſpicantem, Te Magne Præſul, ita allocutum, ut olim Theodoſius fortiſſimum belli Ducem.

Claud. de bell. Get.

Ergo age, me quoniam cœleſtis Regia poſcit,
Tu curis ſuccede meis, ſecurus in aſtra,
Te vivente ferar.

Perge NICOLAE Præſulum meritiſſime, Avitumq; Virtutis, Sapientiæ, Gloriæ SWIĘCICIANÆ Stadium, Immortalibus, ſemper ſecundis veſtigijs, per faſces ex faſcibus ortos, per novarum Dignitatum anguſtos calles decurre, curſuiq; glorioſiſſimæ felicitatis, nec metas rerum, nec tempora pone.

Ita precatur

HONORI & NOMINI SWIĘCICIANO

Devotiſſimum

Collegium Varſavienſe Soc. JESV.

STADIUM
VIRTVTIS INFVLATÆ

Stat ſua cuiq; dies: breve & irreparabile tempus
Omnibus eſt vitæ: ſed famam extendere factis
Hoc virtutis opus. Virgil. Æneid. lib. 10.

VIvere immortalia ſæcula debuiſti, STANISLAE Præſulũ Glorioſiſſime: & poſtquàm arduum Virtutis, Auguſtũ Sapientiæ, immenſum Inſulatæ Gloriæ Stadium perennaturis veſtigijs impleviſſes, unum demum Univerſa deſiderabat Polonia, ut ſcilicet invicto agone, triumphalibus Olympijs, infeſta purpuratis Nominibus fata ſuperares. At, ô calamitoſam ſpei auguſtæ metamorphoſim! ô deplorandam tragicorum planè eventuum Cataſtrophen! Magnus Eccleſiæ Antiſtes, Conſultiſſimus Polonæ Togæ Senator, ſtirpis Illuſtriſſimæ Swięcicianæ decus, & præſidium, communibus mundi fatis ſuccumbens, ſecumq; grandia Eccleſiæ decora, ſplendores purpuræ, ſolatia Patriæ contu-

mulans, mortuali ſarcophago, liberis liberorum civium cordibus incumbit, ut tributaria ſuſpiria lacrymaſq́; exprimat parentales. Nimirũ hac temporis tempeſtate, eſt aliquod calamitatum delinimentum, dediſſe lacrymas malis, & *pectus laxâſſe ſuſpirijs, & nulla major eſt pœna, quàm eſſe miſerum; nec videri.* Quid igitur? itané ſub Siſyphea Fatorum mole fatiſces, obærata immortalitati Swięcicianæ eloquentia? Ergo gravatam luctu publico pennam, non attolles? Ergo ultra mortalitatis Gades, immortalibus veſtigijs properantem Fundatorem maximum, perruptis Fatorum obicibus parentali ſuadâ, Theologica Pallas non ſequeris? Abſit: noſter *it dolor ultra*, mortaleſq́; terminos prætergreſſus, SWIĘCICIANA ſequitur, & immortalibus adoreis coronat veſtigia; illis duntaxat ad fatalia mauſolæa ſubſiſtentibus, quibus ingrato Perſarum cultu, orientes ſemper, occidui nunquam, quantumvis benefici Hyperiones adorantur. Nos *quem quotidie plangimus, quotidie ſentimus mori.* Quid, quòd purpurata Herois, ipſis Fatis formidanda SWIĘCICIANA Virtus, vaſtum liberumq́; per famoſa multorum ruinis præcipitia, per inextricabiles Fatorum ambages, triumphale oſtentans iter; oratorium impellit paſſum? interminatum virtutis, ſapientiæ, gloriæ infulatæ ſtadium, inter fatales plurimorum terminos, intra funeſtas Thermopylas, Elidem proponit,

Latinus Pacatus.

Puteanus in Lipſionemate.

laureatam: ut ubi aliorum *ſtat tacitus cinis*, hæc felicior Atalanta, Oratorium Hippomenem claris per orbem triumphet olympijs.

Sarb.

Rapit admiratorem animum, veteribus Pythijs, Iſthmijs, Circenſibus arenis glorioſius, Infulatæ virtutis ſtadium, immortalibus SWIĘCICIANÆ ſoleæ veſtigijs conſignatum, excitant in grandem immortalitatis Præſuleæ Panegyrim, oratoriam pennam, Conſi & Themidis hippodromi, Sacra & civilia Tribunalia, æquiſſimis ejusdem Præſuleæ ſoleæ paſſibus coronata. Queruletur alibi Tragædus

Neglecta terras fugit, & mores feros
Hominum, cruentâ cæde pollutas manus,
Aſtræa virgo ſyderum magnum decus.

Tu Præſulum Æquiſſime, terris proſcriptam Themidem, toties in terras revocâſti, quoties ſacratioris Togæ Ariſtides, ab Aris ad Curiam proceſſiſti, ratus tum demum Te excelſis Areopagi Poloni Numinibus futurum celſiorem, ſi Tu ab Aſtræa, & illa à Te ſublimata, ijsdem præſideret. Dignam tripode, hederiſq; æquitatem Tuam Præſuleam, vidêre toties Lublinēſia Petricovienſiaq; Regni Tribunalia, talemq; eſſe debere conclusêre, cui rerum ſumma, fideſq;, cui Fortuna, ſaluſq; populorum meritò à ſuperis credita cenſeatur. Non Tibi expalleſcentis in argento, non fulgurantis in auro Pluti ſerenitas, Præſuleam perſtrinxit corrupitq; pupillam, ſoli ſcilicet æquitatis immerſum o-

Ter præſidet Tribunali Regni.

culum, iniqvũ cenſuiſti, erraticis hiſce fulguribus potiùs quam fulgoribus commodare, ejusmodi uſuram lucis, excæcanteſq; ſplendores, atris illis fatalibuſq; luminaribus relinquens, quæ ex ſortis anguſtæ nubibus exoriri aliter non noverunt, niſi minora ſidera extinguendo: Graves potiùs dixeris Irides, *aquis multis multorum populorum* exitiales, nec ſplendidas, nec ſpetioſas futuras, niſi poſtquam gemmeos Pactolos, auratoſq; Eridanos exhauſiſſent. Procul

Æquitas Illuſtriſſimi Præſidentis.

hæc átra, atroxq; ſerenitas, à limatiſſima SWIĘCICIANA Solea: Te magno, ô Præſul, magni Tribunalis Præſide, triumphabat ſententia, non quæ prima, ſed quæ melior; triumphabat cauſa etiam inermis, dum juſta, præ tot alijs, ſive quæ centuriatis Grachorum excubijs, ſive quæ infeſtioribus Clodianorum furoribus ſtipabantur. Duas interim res arduas, nimiumq; à ſe diſſitas Magne Antiſtes, adeò conjunxeras, ut nihil judiciario rigori clementiâ; nihil authoritati ſupremæ, pronâ in omnes ſuavitate, nihil deniq; æquitati affabilitate de-

Plinius Paneg. Trajan.

rogaretur, *hæſit lateri Tuo divinior Trajane quis quis acceſſit, finemq; ſermoni ſuus cuiq; pudor non Tua ſuperbia fecit*, documentô poſteris; Te

Affabilitas juncta authoritati.

Gratijs ſimul & Themidi, abſq; ullius injuria integerrimum Myſten ſacrificâſſe.

A minoribus ad majores Aras progreſſus, à laureis Themidis poſtquam ad Inſulas Pontificias triumphalibus veſtigijs aſſurrexiſſes, Te

ipſo

ipſo indies major aſſurgebas, ut quibus Præſuleis Tiaris Celſior emineres, eosdem Præſuleorum virtutum, toto vertice excederes. Dicet ſera poſteritas, poſthumi memorabunt annales, Te Paſtorem vigilantiſſimum totum tuo vixiſſe populo, imò Tuam & Tui populi eandem fuiſſe animam, par pro utroq; zelus, æquales curæ, ijdem conatus exantlati atteſtantur. Miſſio illa, Apoſtolicis Societatis minimæ viris, quã Paſtor optimus aperuiſti, Zelum Præſuleum SWIĘCICIANUM ſerò victuræ teſtabitur poſteritati. Loquentur Deo per Te conſecratæ Eccleſiæ, fervorem ſpiritûs Præſulei in extinctum, irrequietum Religionis ſtudium, zelum illum Paſtoralem, prodigioſum abſq; ceruſſa minio & ſtibio, dignarum æternitatis manu & penicillo imaginum efformatorem, artificemq; qui in Te magna illa Pontificiæ Purpuræ decora, illa Infulata Pontificum Numina expreſſit, in vno omnia, quorum Religione & zelo, Aræ, foci, Divorum Delubra olim animabantur: *mentes omnium unus tenuiſti.* Hic illi immotales SWIĘCICIANÆ ſtirpis Illuſtriſſimæ, Polydori, è quorum Mauſolæis laureæ pullulant triumphales, Illæ JASTRZĘBCIORUM purpuratæ Animæ, uno concludam omnia verbo, SWIĘCICIJ, Tuo unius pectore ſpirantes univerſi, cum Maximo SWIĘCICIANÆ Domûs Illuſtriſſimæ Protoparente, STANISLAO SWIĘCICKI PALATINO PLO-

Zelus Paſtoralis.

Miſſionem fundat Societatis.

Plurimas cõſecrat Eccleſias.

Mart. lib. 7 Epig. 60

Illuſ. Stanislaus Swięcicki Palatinus Plocẽſis

CENSI, immortalia fortunati Phœnices se vixisse sæcula, *ante fidem solis judiciumq; poli profitentur.* Tuum augustum Nomen, virtuteq; Præsuleam, quæ penna paribus ad immortalē gloriam attollet encomijs ILLUSTRISSIME & REVERENDISSIME NICOLAE SWIĘCICKI Nominate Antistes Kijowiensis. Ille, ille es ô Præsul! cui tanquam immenso gloriæ oceano, dispersa hactenus per orbem Polonum, SWIĘCICIANÆ Gloriæ, sanguinisq; flumina pleno alveo infusa, & avitæ soleæ vestigijs superstes Divorum Majorum recurrens Gloria, Præsuleum Tuum occupat animum, omnes in Te animatura SWIĘCICIOS. *Et Troës & Arcades hîc sunt.*

Illustrissimus Nicolaus Swięcicki Nominatus Episcopus Kijoviensis.

Perge soleata styrpis Illustrissimæ Swięcicianæ Immortalitas, stadiumq; virtutis infulatæ, æternaturis corona vestigijs. Polona Eloquentia eadem colligit in calamum, æternæ posterorum memoriæ, liberis liberorum populorum cordibus, laureatis literatorum Numinum mentibus impressura.

DA COR SARMATIA:

Cui SWIĘCICIANA Immortalitas,
Vastum mortalitatis emensa stadium
Suprema imprimat vestigia.
Nimirum
Qui rectefactorum gloriâ,
Pietate in Patriam,

Prisco

Prisco candore in Principem,
Pari in omnes amore,
Amores omnium subegit,
Meritò cor
Regiam Amoris occupare exambit.
Quodsi pertinax livor obstiterit,
Portas pandet Affectus Civium (inière.
Cũ quo SWIĘCICIANA Merita tacitũ fœdus
Iter triumphale, victricis SOLEÆ inquiris?
Quot virtutes tot vestigia,
Quot vestigia tot Infulata lumina,
Novam accendunt Flaminiam;
Ut in mortis umbra Illustrissimus STANISLAUS
Palmaria illa inconstantiæ lumina,
Rectiùs dixero,
Trabeata fulgura confundat,
Quæ auctis in immensum splendoribus,
Ipsi quem illustrant Polo exitialia,
Unico Fatorum flatu extingvuntur.
Nunc centoculi Argi
Iam cæcutientes Oedipodæ,
Nunc serenissimi Titanes,
Mox caligantes Thyestes,
Non lucent nisi ut noctilucæ,
Momentum lucis,
Tota interminatæ noctis æternitate extinguentes.
SWIĘCICIANã in Deũ pietatẽ planè Præsuleã,
In Senatu, incorruptã cordis orisq; concordiã,
In judicijs, tenacem æqui, rectiq; amorem,
In tota vita

Præsulis Optimi,
Senatoris Consultissimi,
Consummatam Idæam;
Adorent Posteri,
Grata coronet Patria,
IMITENTUR UNIVERSI.

STADIUM
SAPIENTIÆ INFVLATÆ

--- *Nunc, nunc incumbere tempus*
Hippomene propera; nunc viribus utere totis
Pelle moram, vinces. Ovid. 10 Met. fab. 11

Immortalitatem Illustrissimæ Stirpis SWIECICIANÆ assecutura, è Stadio Virtutis, ad Stadium Sapientiæ, Augustis gentilitiæ SOLEÆ vestigijs progredere, Olympionices posteritas. Gradiantur per clades & funera gentium, invicto passu fatalia orbi fulmina Achilles, sequantur eosdem tragica panegyri, sui encomiastæ

Senec. Troad.

Hæc tanta clades gentium, ac tantus pavor,
Sparsæ tot urbes turbinis vasti modo,
Alterius esset gloria; ac summum decus:
ITER EST ACHILLIS.

Claud. de tert. Cons. Honori.

Desiderent quidam Mavortiales semper *audire tubas, campiq; cruenta tempestate frui, truncisq; immergere plantas.* At mihi nimium crudele istud videtur iter, solisq; Tiberijs, Caligu-

ligulis, Vitellijsq;, belluis scilicet coronatis solennis Naumachia, per sangvineos Rubicones, inter naufragas Fortunas vitasq; populorum, Charontis semper cymba circumagi: Non ita gratum existimo hospitem, immortales posterorum memorias occupâsse, qui per depressa capita, quam qui per captivata corda, ad illas assurrexit. Certius profectò, per Tritoniæ oleas, quàm per intertextas funereâ Cupresso, Gradivi laureas, iter est: miseram vitā, quam infelices excisarum gentiū mortes pepererunt! SWIĘCICIANÆ Soleæ illimis decor, nunquam ejusmodi immanitate temeratus, quantumvis non semel barbarico decolor tabo, triumphalia Ukrainensibus desertis, Valachicis & Chotimensibus campis vestigia inarârit. Pressit hostile solum imò & caput, non ut in capite oppimeret æquitatem *jusq; daret sceleri*, verùm ut immortalē Poloni SWIĘCICIANIq; Nominis memoriam, duris barbarorum mentibus, ceu perenni adamanti imprimeret.

Lucanus lib. 1

Tibi interim STANISLAE Præsulum Sapientissime, martijs Divorum Tuorum Aboriginum itineribus, mitius arrisit Palladis Stadium. Nimirum Martis adoreas Minervæ laureis coronare, Bellonæ galeas, Palladijs Infulis redimire, Martia, & depressarum gentium ruinis formidanda vestigia, innumeris servatarum animarum Civicis exornare, id demum summum, Polonum, SWIĘCICIANUM censuisti.

ſuiſti. Præmiſiſti Præſul Inclyte Togam Palladis, Præſuleæ Purpuræ, verticemq; Pontificijs vittis coronandum, prodromis ſapientiæ hederis exornâſti: non ignarus *pulchro ligari fœdere libris tiaras.* Vidit in Te olim audivitq; ſuum Auguſtinum, Candidus Lateranenſium in Polonia cœtus, cui cum Doctorali Ingenio & Majeſtate, perplexiſſima Theologiæ Arcana enodans, ad ſolis Aquinatici lumina, ſole clariùs propoſuiſti; nihil Tibi poſt emeritas Divinæ Palladis Adoreas, niſi Præſuleas Tiaras, poſt Theologicam Togam, Pallium Pontificale ſuperfuiſſe. Inſectetur Patrius vates non aliena à vero criſi, ingloria plurimorum ad peregrinas gentes itinera

Sarb. lib. 2 Od. 26

Hic dum ſupremam luſtrat Iberiam
Et geſtit hoſpes diſcere plurima,
Se noſſe dediſcit, diuq;
Ipſe ſui vagus exul errat.

Abſolviſti metu hoc Poloniam Magne Antiſtes, qui extra patriam progreſſus, eundẽ illi Te, quem extuleras retuliſti: Rhenum enim Germanicum, & Tiberim Romanum, ita Polono Viſtulæ miſcuiſti, ut non confunderes. Rectè, ante purpuram & Infulas, Romæ comparere neceſſè habuiſti, ut in illa orbis ſpecula clariùs appareres, quantus ad Byſſum Pontificalem, bicorneq; eruditiſſimi verticis decus aſcenderes. Petijſti Latium, ut Palladium olim ab infelice Troja orbis capiti illatum, inde in

Romã proficiſcitur.

Iuris Canonici peritia.

Tuũ

Tuum transferres, Tecumq; ipſo, externi muneris vice, in Patriam deportares. Primũ jus, ſibi in capite Infulato inſcripſerat, Præſulearũ arbitra mentium, profunda illa Pontificiarum Legum ſcientia, quam Tua imprimis altiſſima mente repoſuiſti, tum ſeris temporibus jura daturam, ad Cathedras Varſavienſis Palladis ſublimâſti, toties SWIĘCICIANVM Nomen celebraturas, quoties divinior hæc Aſtræa, cõtra novos Gigantes, potentiora Tarpeio Jovi fulmina miniſtrabit. Ibit, ibit in memores faſtos, aſſurget in nova indies gratitudinis æternaturæ ſimulachra, SWIĘCICIANA in Polonas Muſas beneficentia, feret immortales adoreas, aperta ſemper extenſaq; manus aurea, ad cujus liberalem ſonitum, ſurrexit divinarum, humanarumq; ſcientiarum Princeps Theologia, ſurrexit inquam felicius, quàm ad Apollinis lyram, turrita Pergama Dardanorum. Ex hac demũ Olympiaca planè decertantium ingeniorum orcheſtra, ceu è fatali illa Trojanis machina, prodit indies plurimus *Tiſandrus*, *Thenelusq;* *Duces*, *Atamasq;* *Thoasq;vè*, Heterodoxis Phrygibus exitialia nomina. hîc, IGNIS à DEO ILLATVS, à SWIĘCICIANIS Gratijs, veterum Veſtalium Religione conſervatus, in illos ſeſe propagat diffunditq; ſplendores, quibus Sacra Tribunalia & Civiles Curiæ, Pontificum Cathedræ, & Eccleſiaſtarum Exedræ, Aulæ Principum, & Aſceteria Deo Sacrarum mentium,

Ius Canonicum fundat Varſaviæ in Gymnaſio Societatis.

Fundat ibidem Theologiã Scholaſticam.

Virg. 2 Æneid.

 um,

um, ad universæ Poloniæ gloriam, ad Orthodoxæ Religionis perennem serenitatem, ad fatalem Heterodoxarum umbrarum occasum illustrantur. Hæc verò salutaris universæ Poloniæ serenitas, hic Sacræ Civilisq; Themidis splendor, cognata luce in Te Magne NICOLAE recurrit, ceu suum in solem radij, in fontem rivi, in cor venæ, minora æquora in Oceanum aquarum regnatorem. Stabit immortale SWIĘCICIANÆ Gloriæ monumentum, cum universa, tum præcipuè Varsaviensis JESV Societas; quam Præsuleus Tui STANISLAI Zelus extendit, Tu uno avulso non deficis alter aureus, similibus studijs, immortalia Magni STANISLAI facinora coronaturus.

Illustris. Nicolaus Swięcicki Nominatus Episc. Kijovien.

Tu verò Societas JESV, SWIĘCICIANO Nomini devinctissima, grandia in stadio Sapientiæ SWIĘCICIANÆ Soleæ vestigia, perennibus æternitatis fastis consignata, immortali cœlo Sacro Divinæ Palladis pectori, imprime inaraq;.

Age Theologica Pallas,
Verior Niobe;
Supra patriũ Magni Fundatoris Mausolæum
Obrigescens,
Immortale mente concipe marmor,
Sed non aliud quàm Parium,
Candidum scilicet: Tui candoris symbolum.
Cave tamen
Quasi Ciconium bibisses flumen,

Sa-

Saxeo rigore,
Theologico cœlo Te impervium exhibeas,
Potens enim gratitudinis ictus est,
Dura pectorum penetrat marmora,
Et gratitudo non est,
Nisi immobilia hæc aliàs saxa moveat inflectatq;.
Et tu grata Æternitas, gratitudoq; æterna,
Cœlum sume,
Exara soleam Phœbeis laureis coronatam.
Tu verò Pallas Theologica,
Laureis, ferales insere Cupressos,
Heliadum mœstissima.
Iam non Phaëtontem sed Phœbum gemis,
Phœbum inquã, Infulatũ Theologici apicẽ Pindi,
In quo
Et decus & præsidium Tibi grande occubuit.
Phaetonteam solitæ deflere ruinam
Roscida frondosæ sudent electra sorores,
Dolentis cordis rigidum marmor,
Lachrymas distillet parentales,
Nempe:
Ejusmodi gemmas:
Magnus Stanislaus,
Supremis amat signare vestigijs,
Dicerem premere,
Si gravis cuiquam in vita extitisset,
Dum vixit innumerorum solatium,
In morte totidem lachrymarum Antistes,
Mortuus omnibus suspiria lachrymasq; exprimit
Quos beneficijs oneravit,

Claud. de terno Cõsul. Honorij.

 Dum

Dum viveret.
Agite Magni literarum Antistites,
Infulatis Magni SWIĘCICII Manibus,
Gratas vindicias,
Solennes inferias,
Fata date.
Vivat post funera superstes
Phœnix Præsulum,
In NICOLAO STANISLAUS,
Atlas in Hercule,
SWIĘCICIANI Cœli succollatore.
Fluctuantem in Rhodo supra maris tergũ colossum,
Liquida involvat ruina,
SWIĘCICIANÆ Soleæ, Palladem;
Et Palladi SWIĘCICIANã æternitatẽ superfun-
Non imber edax non Aquilo impotens (datã
Poterit diruere, aut innumerabilis
Annorum series, & fuga temporum.

Horat. lib. 4 Ode. 30

STADIUM
GLORIÆ INFVLATÆ

Horat. lib. 1 Od. 1

Sunt quos curriculo pulverem Olympicum
Collegisse juvat, metaq; fervidis
Evitata rotis, palmaq; nobilis
Terrarum Dominos evehit ad Deos.

APicem ego humanæ felicitatis crediderim, plenum dierum meritorumq; ævum, nec solis annis, verùm etiam virtutibus grande se-

niũ,

nium, ceu pretioſum immortalitatis depoſitũ, mortualibus mauſolæis recondidiſſe. Fruſtra capulares Æſones, candidam in capite hyemẽ oſtentatis, ſi floridum virtutum ver, vernantem meritorum æſtatem, feracẽ demum, maturũq́; immortalis gloriæ autumnum, nè pilo quidẽ unico prætuliſtis, quo hyberna deficientis ſenij ſuſtineretur egeſtas. Fruſtra decrepitos vultus, ruga ſenilis arat, ſi, ex illis aurea perennis famæ meſſis non ſperatur, ſi ex hiſce centenarijs ſulcis, nec unica virtutis pullulet ſpica.

Non qui Neſtoreis ſolibus æmulas
Implevit Trieterides
Sed qui Neſtorea dignus erat rude
Feſtis floret adoreis.

Illud, illud excelſarum mentium attingit menſuram, anguſta vivendi tempora virtute antevertere, teneris annis canos induere mores, ætatem extendere factis, tempeſtivaq́; maturitate, probroſam de ſenibus abolere paræmiam, ut non bis pueri,ſed bis ſenes dicãtur audiantq́;. Negatam hanc pluribus vel ideo dixero felicitatem, ut Tibi propriam planèq́; Tuam orbis cum univerſa Polonia adoraret STANISLAE Præſulum meritiſſime. Inopiæ judicium arbitrabaris creſcere cum tempore, & mores debêre moræ. Vt Nilum, ita Te nulli parvum videre licuit: Magnus ad maxima, ad Infulatæ gloriæ faſtigia glorioſiſſimus, per Tritoniæ, Conſi, Themidiſq́; adoreas, ad Pontificales Infulas aſcendebas.

Petijsti, ingentes de Te ſpes Patriæ ſecutus, externum orbem, non vanus curioſuſq; alienorum ſpectator, verùm grande gratumq; in Te ſpectaculum ſepticolli orbis & urbium Dominæ exhibiturus. Necdum Romana mœnia attigeras, cùm prodroma immortalis Tui Nominis fama, longo te intervallo antevolans, illum ſummo in terris Principi, illum Vaticano Senatui repræſentabat, quem Infulatus honos, cum ipſis Lucinæ facibus à ſe quæſitum profitebatur, poſtquam inventum tenuiſſet. Invenit Te demũ ibi, ubi à pluribus quæritur: tenuit inventum nec dimiſit, imò diuturnæ fugæ reum Pontificialibus ſibi vittis adſtrinxit, nec ideo liberum, quòd felix reus, Præſuleas Aras apprehendiſſes, Sic Te ſuum Præſulem adorat Spiga, coronat Roma, Polonia externis Infulis Polonum caput invidens coronari, à Spigacenſibus ad domeſticas Tiaras, à ſeptem collibus, ad avitos Campos revocavit. Redis prævolantibus ſecundis Aquilis, comitantibus Apoſtolicis Gratijs, Vaticani Senatûs ſtipantibus affectibus. Sed ut Tuis *it meritis fortuna comes faſceſq; priores exornat repetitus honos*. Nempe regredi in Tuam Poloniam aliter non potuiſti, niſi illis quos fugeras honoribus obviando. Vinci ſe non patiebantur Romanis, regnatrices Poloniarum Gratiæ, quin coronario ſacri verticis auro, aurum adijcerent. Ergo ptiusquam Patriam ſalutares, Magnus Samogitiæ, Suf-

Romæ fit Episcopus Spigacensis.

In Polonia Suffraganeus Samogitiæ.

Suffraganeus ſalutaris, tum (ut cohærentium ſibi dignitatum fatalis quidam nexus eſt) Archidiaconatus Varſavienſis, non minùs glorioſo, quàm operoſo onere in Te recubuit. Supposuiſti negotioſi magis oneris, quàm honoris excelſi peramans, purpuratos lacertos, ad novaq; dignitatum culmina Te laturum *cœlum*, *priùs ipſe tuliſti*.

Archidiaconus Varſavienſis.

Ovid. Heroid. Epiſt. 9

Sublimibus demum iſtis Tibi ſeſe ultro ſubijcientium dignitatum culminibus, ad Chełmenſes evectus Tiaras, gloriâ par maximis, virtute pluribus major, ſola Tua modeſtiâ inferior, ſecundis paſſibus, ad Aram iterum honoris Præſulei ſubſiſtens, attigiſſe Te publicæ ſpei metas gratulabaris, ubi ingens illa ſolenniſq; ſui oſtentatrix purpurata modeſtia, Herculeum *non plus ultra*, Chełmenſi Cathedræ, ceu terminalibus Gadibus inſcribebat: cùm æquior SWIĘCICIANORUM meritorum æſtimatrix Religio, obliterato extinctoq; illo Herculeæ gloriæ charactere; *plus ultra* Magni CAROLI SWIĘCICIANÆ gloriæ inarauit deſiderans

Tum Epiſc. Chełmenſis.

Ut veteres mitras, faſceſq; recentibus ornes
Præſuleaſq; novum vittas diadema coronet.

Neotericus.

Ita Chełmenſibus Culmenſes Infuas, addit Polonia, approbat Vaticana majeſtas, niſi Tu novis hiſce Tiaris coronandum verticem, æternitatis tænia redimiri maluiſſes. Sic demum ſanctior Alcides, ſuum triumphali ſtadio Nomē reſtituis, poſtquam uno ſpiritu, magno ſcilicet

Nominatus Culmenſis

ac invicto, ſtadium tot tantarumq; dignitatum emenſus, jam in auguſta immortalis gloriæ ſtatione conquieſcis. Hic jam ad portas mortis, ad terminalem humanarum rerum Calpen & Abylam, ubi interminata immortalitate ſua auſpicante Olympia, laſſatæ mortalitatis curſus ſubſiſtit, hîc inquam inter ſuprema dolentis Patriæ vota, inter amica faventium populorũ ſuſpiria, interq; *noviſſima verba* bene precantium Concivium; dierum, meritorumq; plenus ſtadiodromus Staniſlaus, Tibi NICOLAE Præſulum meritiſſime *lampada tradit*, Tu magnis paſſibus, Divorum Tuorum Majorum, interminatum Virtutis, Sapientiæ, Gloriæ Infulatæ decurrens ſtadium.

Tardum ſereni partibus ætheris
Te ſidus addas, neu properes citus,
Menſis reclinari & ſupernis
Cœtibus accubuiſſe Divûm.

At Tu SWIĘCICIANA eloquentia, immortalia Præſuleæ SOLEÆ veſtigia, jam cordi univerſæ Poloniæ, & literariæ Palladis impreſſa, inara adamantino pectori Gloriæ immortalis.

Stringe ferreum ſtylum Eloquentia,
Ut profundiùs inares,
Immortalia SWIĘCICIANÆ SOLEÆ veſtigia,
Perenni immortalis gloriæ adamanti.
Aureo ſcilicet cœlo impervius,
Ferrum ultro admittet imò attrahet,
Adamas Æternitatis.

Ex-

Exprime exaraq́ꝫ,
Breves Poloniæ delicias,
MAGNUM STANISLAUM,
Qui,
Si virtutem gloriamq́ꝫ attendimus,
Immensum planè ævi spatium exegit,
Si annos, modicum:
Si omnium nostrum desideria, nullum.
Ingemina Polonia:
Cum Macedonum Antigono,
Super fata Zenonis Sapientissimi,
QUALE THEATRUM PERDIDI!
In uno SWIĘCICIO,
Quanta innumerarū Virtutū, Sapientiæ, Gloriæ
Ruina!
Si parvæ casæ,
Cùm ad ruinam impulsæ sunt,
Spectantium non rarò movêre suspiria,
Magna gravius corda premunt,
Dum suis in ruderibus jacent ædificia.
At corrige te inconsulte dolor!
Quem sui raptum gemuere Cives, Sarb.
Hic diu vixit.
Vivit post Fata superstes
Magnus STANISLAUS,
Qui nihil Fatis obnoxium egit, dum viveret.
Cujus mens Æternitas,
Cogitatio Deus & Religio:
Amor Patria:
Vita, Immortalitas,

 To-

Totum sibi, totum mortalitati eripuerunt,
Ut integrum immortalitati redderent STANI-
Hæc sunt Magni Stanislai, (SLAUM.
Hæc Præsulis Optimi,
Hæc Senatoris Gloriosissimi,
Hæc SWIĘCICIANÆ Soleæ,
IMMORTALIA VESTIGIA.
Imitare ô Polonia!
Tu SOCIETAS IESU,
Immortali gratitudine sequere,
Et vestigia semper adora.
S T A,
Super immortale Magni STANISLAI Mauso-
Et mortuali marmori, (læum;
Ad perennem Memoriam;
Phœnici Præsulum,
INSCRIBE:
O felix, hæresq; Tui. quo solvimur omnes
Hoc Tibi suppeditat vires. præbetur origo
Per cinerem. Moritur Te non pereunte senectus,
Et clades Te nulla rapit, solusq; superstes,
Edomita Tellure manes. non stamina Parcæ
Claud. de Phœnice. *In Te dura legunt: Non IUS HABUERE NO-*
CENDI.

